# Badische Landesbibliothek Karlsruhe

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**


## Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes aliquot


**Stahl, Daniel**



**Jenae, 1662**


Regula IX. Negato genere, negatur species


**urn:nbn:de:bsz:31-102400**



Visual Library

vimus, genus non eſt propriè ipſa materia, nec differentia forma, eſt tamen illud inſtar materiæ, hæc, inſtar formæ: quæ analogia in hôc conſiſtit, quod ſicut materia ex ſe nullam habet formam, apta tamen eſt ad omnes formas ſuſcipiendas: Ita genus nullam earum differentiarum, quibus dividitur, actu includit, aptum tamen eſt, eas recipere. Vel; ſicut materia eſt quid indifferens & determinabile, quòd determinatur per formam; ita genus eſt quid indeterminatũ & indifferens, differentia autem ipſum determinat ad certam ſpeciem. Quod ergò *X. Metaph. cap. XII.* dicitur genus eſſe materia ejus, cujus genus dicitur, non propriè intelligendum eſt, ſed ratione hujus analogiæ. Unde & *VII. Metaphyſ. cap. XII. t. 43.* non ait Philoſophus; *Genus eſſe materiam*, ſed eſſe, *ut materiam*.

## REGULA. IX.

*Negato genere, negatur ſpecies.*

I. Vulgò ita dicitur: *A genere ad ſpeciem negativè valet conſeqventia.* Quod quidem dupliciter poteſt intelligi: I. *de exiſtentia.* II. de *prædicatione*, ſive ut genus ſtat locô prædicati in enunciatione. Utrôque modô Regula vera eſt. Nam ex eô, quod genus non exiſtit, rectè infertur, neque ſpeciem exiſtere: ut, ſi animal non eſt, nec homo, nec brutum in rerum naturâ erit,

II. Quan-

II. Quantum ad prædicationem; *de quo negatur genus, de eôdem etiam negantur ſpecies omnes.* Ut: ſi aliquid non eſt animal, nec homo eſt, nec brutum. Secundum Zabarellam genus quinque habituum mentis ab Ariſtotele *VI. Eth.* explicatorum, eſt habitus principalis. Si igitur Logica e. c. non eſt habitus principalis, nec ſapientia erit, neque intellectus, neque ſcientia, neque prudentia, neque ars.

III. Loquimur autem de genere & ſpecie *materialiter*, ſive *quantum ad rem ſubſtratam*. Nam ſicut in aliis Regulis, ita & hîc de formali & ipsâ notione non eſt ſermo. Et certè de quô negatur notio generis, de eo non ſtatim eſſe negandam notionem ſpeciei, manifeſtum eſt; non homo e, c. non eſt genus, eſt tamen ſpecies.

## REGULA X.

*Affirmatô genere, non affirmatur ſpecies.*
Porphyrius *cap. IIX. §. 7.*

I. Sciendum I. hoc poſſe intelligi vel de ſpecie *determinatè*, ut de homine, vel *indeterminatè* ſeu ſub disjunctione. II. Et hîc poſſe eſſe ſermonem vel de *exiſtentiâ*, vel de *prædicatione*, ſeu, ut in enunciatione genus & ſpecies ſtant locô prædicati.

II. Jam dico I. *Affirmatô genere, tùm quoad exi-*

exi-